



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 29. Heterodoxorum Sodalitas recens erecta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII
 A. C. 1613. brum mendaciis oblitum adversus Bren-
zium publici juris fecit, ita inscriptum:
Theriaca Judaica, ubi tamen opposito
 excessu suæ gentis vitia novis menda-
 ciis nimium excusare nitebatur, Utrius-
 que vero Authoris libros postea Joannes
 Wülserus latine reddidit, notisque
 castigavit: ad decem autem illa funda-
 menta, quo comprobare nitebatur, quod
 Jesus in Talmude nominatus non signi-
 ficet Christum Salvatorem nostrum,
 Joannes Andreas Eisenmenger Calvi-
 nista in suo *Judaismo detecto* solide
 respondit.

§. XXIX.

*Heterodoxorum Sodalitas recens
 erecta.*

Arnold
Ketzer hist.
p. 2. l. 17.
cap. 18.
Kortholt hist.
Eccles. Sæc.
XVII.
sect. 1. c. 2.
Malvasia
cent. 16.

Ad hunc annum nonnulli referunt ori-
 ginem fanaticæ Sodalitatis, quam
 Calvinistæ, Lutherani, atque ex va-
 riis sectis nonnulli sub specioso nomine
Rosæ Crucis, seu *invisibilium*, & *immor-*
talium, excogitarunt. Diversa est Do-
 ctorum sententia de illius Authore,
 quem nonnulli Valentinum Weigelium
 Pastorem, alii Rosium vel Christianum
 Rosencreuz, aut Joannem Andreæ fuisse
 dicunt: Nicolaus quoque Hunnius
 Wittenbergensis Theologus testatur,
 hanc societatem fuisse partum Calvini-
 starum,

Sæc. XVII.
A. C. 1613.

starum, qui hoc medio suam sectam propagare nitebantur. Illius Sodales passim vocabantur *militēs incantati*, qui per plures annos in diversis Germaniæ Regionibus circumvagati sunt, spargentes, quod unice totius Orbis tam in scientiis quam Religione reformationem intenderent, ac propterea de nobilissimis naturæ arcanis, lapide Philosophorum, & de recta quadam medicina ad vitam per plura sæcula propagandam, imo ipsam etiam corporis immortalitatem consequendam aptissima plenam haberent cognitionem: Plura etiam tradebant dogmata, quæ ex Magia, cabala impura & Alchymia erant deprompta: anno autem Domini millesimo sexcentesimo decimo quinto libellum ediderunt, cui titulus: *fama fraternitatis*, unacum fratrum confessione: prodiit etiam anno Salutis nostræ millesimo sexcentesimo decimo octavo alius liber Teutonico idiomate ita inscriptus: *Themis aurea, hoc est, de legibus Fraternitatis Rosæ Crucis, qua earum cum veritate convenientia, utilitas publica & privata, necnon causæ necessariæ evolvuntur & demonstrantur, Auctore Michaelē Maire*, quod tamen nonnisi fictitium hujus Auctoris nomen est; hic enim tractatus Nicolao Hoffmano adscribitur. Ceterum stolidæ hujus Sodalitatis

dali-

Sæc. XVII.
A. C. 1613. dalitatis leges erant sequentes. I. Nemo illorum iter agendo aliud profiteatur, nisi morborum curationem, illamque gratis exerceat, omnes vero huic Societati adscripti jurato profiteantur, quod nullibi se ut tales manifestare velint, priusquam opportunum universalem reformationem exequendi tempus advenerit. II. Nullus propterea certo habitus genere uti compellatur, sed Religionis duntaxat consuetudini se conformet. III. Unusquisque Fratrum quotannis die C. in loco Sancti Spiritus se sistere, vel absentiae suæ causas literis declarare teneatur. IV. Quilibet personam aptam & idoneam, quæ sibi vita functo succederet, eligere obstrictus sit. V. Vocabulum *Rosea Crux* illis sit instar Symboli, characteris, aut sigilli. VI. Centum saltem annis hanc Sodalitatem latere, necesse sit. Ceterum fanatici hi milites tanquam rebelles in Cæsaream Majestatem insurgentes anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo septimo victricibus Ferdinandi II. Cæsaris armis deleti sunt.

§. XXX.

*Controversia de summa auctoritate in
Sacra inter Protestantes
exorta.*

Jam